



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis**

**Dietrich <von Engelsheim>**

**Münster, [1893-1897]**

2. De cometa, qui tempore Wilhelmi electi apparuit; eius vita et domini  
Ffrederici archiepiscopi Coloniensis morte et novi episcopi Coloniensis  
electione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

et quingenta milia florenorum tradidissent. Ubi tunc quamplures Sosatienses erant captivati, qui non curarunt promissa, castrum Nienbus non poterant invenire.<sup>1)</sup> Sicque de istis, nec de toto lucro aliquis profectus<sup>2)</sup>, sicut debuisset et sperabatur, non evenit, sed magis versum fuerat ecclesie Paderbornensi hoc lucrum in detrimentum, prout dolenter refero.

1408 Sub anno etiam dominice incarnationis MCCCCVIII instante intenso (sic!) hyeme et frigore castrum Lipperode obsedebat, gwerras cum nobilibus dominis, Symone et Bernhardo de Lippia indicendo, in quibus castrum Lage devastavit, ffrumenta et blada ante opidum Lemego demollivit, cum potentia opidum Horne bene cum tribus milibus hominum circumcinxit, castra ponendo, multa magnalia dampna ipsis inferendo, sic quod illo tempore domini, Coloniensis predictus, Johannes de Nassowe, archiepiscopus tunc Moguntinus, Otto de Hoya, vir multum austerus, episcopus Monasteriensis, illustris Hermannus, lantgravius Hassie, et alii principes, vicini sui circumquaque, eius potentiam, magnificentiam, industriam et opera formidarunt, prout revera merito erant formidanda. Hec scribo, hec dico et refero, quia vera sunt; illa et multa alia similia et maiora secum, cum eius cancellarius fui, vidi et practica didici, illis interfui et pro possibilitate in omnibus premissis quam prosperis quam adversis operam dedi.

2. In tempore illo, cum dicti domini Wilhelmi ecclesie Paderbornensis regimen iniciebatur, tunc tempore Augusti in parte occidentali versus septentrionem, ubi ventus

<sup>1)</sup> Die auf Ehrenwort entlassenen Soester stellten sich als Gefangene in Neuhaus nicht wieder ein.

<sup>2)</sup> profectus = der Nutzen.

Cirvius (?) oritur, apparuit cometa forme pyramidalis, flammam ardentem longam quindecim cubitorum habens, ultra tres septimanas ardens, que iuxta phisicorum et philosophorum doctrinas mortem principum, caristiam et gwerras plurimas solet prenosticare. Fertur quoque hoc tunc experientia compertum. Cum tunc Beatissimus papa, Bonifacius, qui thesaurum universalis ecclesie indulgentiarum vendidit, rumatur decessisse, qui, sumptis Paderbornensis ecclesie pecuniis, indulgencias a pena et a culpa eedem concessit in festo visitationis virginis gloriose fore consequendas, anno proximo sequente suas concessas gracias revocando. Fertur eciam, tunc Sere-  
nissimum Wenceslaum, Romanorum regem, filium Karoli quarti, imperatoris et regis Bohemie, maximi tyranni, obiisse. Similiter ducem Reynoldum, ducem Gelrie, monetam auream inficientem,<sup>1)</sup> interiisse; ducem Mediolanum, magnum tyrannum, etiam patribus sociatum fore. Et illustrem principem Fredericum, ducem Brunswicensem, patrem ducisse Austrie, de Francfordia a principibus electoribus recedente(m), per Fredericum de Hertingeshusen, militem, et suos complices circa Ffrislariam esse interfectum ea de causa, ne culmen inperialis maiestatis ascendere, ut plures electores affectaverant, valeret. Venerunt eciam statim post hoc tante caristie in diocesi Paderbornensi, in dominio dominorum de Lippia et circumquaque, quod raro panis vendibilis reperiabatur, et quod semina inconsueta campestria et fructus silvestres edebantur; ymo repertum erat, quod pauperes villani fructus cum corticibus mollificatis sine adiuncto<sup>2)</sup> in cibum receperant, lutum cum paliis<sup>3)</sup> propriis pro esca non refutantes. Eodem eciam tempore in partibus

<sup>1)</sup> inficere = „verunreinigen,“ vielleicht hier = „fälschen.“

<sup>2)</sup> ohne Beigabe, Fett. — <sup>3)</sup> palea gefochtes Viehfutter.

vicinis circumquaque guerre, dissensiones et inimicitie inter principes, tirones et plebeos insurrexerant, pullulabant et viebant,<sup>1)</sup> ut supra et infra comperietur. Si cometa erat causa, velit Deus, ut amplius similis non videatur. Extimo,<sup>2)</sup> quamvis inclinēt, quod sine voluntate non uccinet (?), nisi in hiis, qui naturali causi<sup>3)</sup> subsistunt.<sup>4)</sup>

Et cum pretactus dominus Wilhelmus in suo regimine ante hec gloriosus apparuit, tunc verbum prophete David accessit, ubi inquit: „Homo, cum in honore esset, non intellexit“, ad quod verbum Egidii in li(bro) de regimine principum accessit, inquentis: „Principatus virum everdit“. <sup>5)</sup> Mutatus tunc erat in alium virum, regimine tyrannico incipiens, a suis exactiones plurimas petens, eorum pecora sue coquine mancipans, capiens, eos fideiubere petens, et solvere relinquens, secundum suam, et non coniungendorum voluntatem suos subditos matrimoniali copulatione compellens, onera diversa suis subditis imponens, pecuniam multam de civitatum suarum incolis exactionans, rapinas plurimas permittens publice et privatim, instans, ut tam prelatos suos, quam beneficiatos ecclesie sue et dioecesis deponere mallet, alios in eorum locum ad ipsius libitum surrogando; ut sic reverendum in Christo patrem Henricum, abbatem sanc-

<sup>1)</sup> statt vigeant. — <sup>2)</sup> für existimo.

<sup>3)</sup> causi Schreibfehler statt causa.

<sup>4)</sup> Einzelne Worte des Satzes sind nicht mit Sicherheit zu entziffern. Mit nachstehender Wiedergabe dürfte der Gedanke des Autors getroffen sein. „Obgleich der Komet Einfluß hat, so glaube ich, daß er ohne den Willen [zu ergänzen] Gottes nur Einfluß hat auf diejenigen, welche ihm aus natürlicher Ursache unterstehen.“ Das Mittelalter lebte unter der Vorstellung, daß die Schicksale des Menschen auf natürliche Weise von einem bestimmten Gestirn, unter welchem er geboren war, beeinflusst würden.

<sup>5)</sup> statt evertit.

torum Petri et Pauli Paderborne, virum elegantem incipiens ammovere et, in quantum in ipso fuerat, ab abbatia sua ammovit, eandem reverendo domino Wilhelmo de Driburg, nunc abbate<sup>1)</sup> in Helmershusen conferendo. A quo et omnibus aliis premissis dissensiones gravissime inter dominum predictum Wilhelmum, dominos de Lippia, capitulum, vasallos, civitates et incolas civitatum dioecesis Paderbornensis insurrexerunt, sic quod isti sibi resistendo pretact(i) (?) obviandi se invicem colligaverunt iuxta modum et formam infra carptim conscriptam et pro resistentia facienda advocatos, expensas et armigeros ordinarunt, sic quod cum eodem domino Wilhelmo publicas inimicicias inierunt, dampna contra dampna, rapinas contra rapinas, incendia adversus incendia cum diversis devastationibus bonorum commiserunt, sic quod tunc dictus dominus Wilhelmus opidum Lipspringe dominorum de capitulo exurebat, eorum bona in maxima parte amuthilando, sic quod prebenda canonicalis, que antea bene fuerat valoris septuaginta florenorum Renensium, triginta florenorum non remansit. Tunc capitulum psalmum: „Deus laudem“ incepit et tamdiu legit, donec episcopatum suum, ut in eodem psalmo continetur, accepit alter. Ille alter sic supervenit. Nam dissensione premissa sic diu durante, sub annis domini millesimo quadringentesimo decimo quarto in die pasce obiit reverendissimus dominus Ffredericus 1414  
8/4  
prenominatus, archiepiscopus Coloniensis. Quo defuncto infra quindenam certi de capitulo ecclesie Coloniensis prenominatum dominum Wilhelmum in episcopum Coloniensem postularunt, alia et sanior pars capituli elegerunt reverendum dominum Thedericum de Morse in archiepiscopum eiusdem ecclesie Coloniensis. Et cum

<sup>1)</sup> Schreibfehler statt abbat.

premissa electio et postulatio decreta<sup>1)</sup> sedis apostolice aspectui<sup>2)</sup> presentaretur, dominus tunc papa Johannes XXII. electionem de dicto domino Thederico factam, et non domini Wilhelmi postulationem sedis apostolice auctoritate confirmavit. Quod pretactus dominus Wilhelmus et illustris dominus Adolfus, dux Julie et Montensis, ipsius frater germanus, egre ferentes, tunc fortius confisi de suis potenciis sevis bellicis cum domino dicto Theoderico se miscuerunt, plura terribilia bellica et certamina lucrando et perdendo, perpetrando<sup>3)</sup> tam Coloniensem, quam Paderbornensem ecclesias invadendo artiori omni modo, quo maluerunt, ita quod alter ecclesiarum (?) alterius auxilio indigebat, sic quod suis amicis intervenientibus dominus Theodericus ecclesiam Paderbornensem ad suam tuitionem tuturio nomine ad decem annos recepit iuxta modum et formam, qui infra statim in literis desuper confectis continetur, quas hic habere volo pro insertis etc.

3. Cum vero pre nominatus dominus talem tutelam, ut prefertur, in se suscepit, ipse tamquam bonus pater familias in sua absentia nobili viro, domino Bernhardo de Lippia, vices suas commisit, eum summum officialem in temporalibus suis preficiendo, qui cum consensu capituli et aliorum secum et cum eis confederatorum alios in locis oportunis advocatos, dapiferos et curam pupillorum gerentes preposuit, tuendo eosdem ex adversis. Videns sic in hiis prosperos et bonos successus, et quod prefatis ecclesiis Coloniensi et Paderbornensi ex hoc, quod simul iuncte fuerint, commoditatem provenire, et quod se poterant efficacius a noxiis preservare, ideo

<sup>1)</sup> Im Originaltexte steht: „premissam electionem et postulationem decretam.“

<sup>2)</sup> = arbitrio nach du Cange.

<sup>3)</sup> Mit der Nebenbedeutung „schädigen“ nach Dieffenbach.